

**05  
A  
666**



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-637562-p0002-8

DFG

CUM DEO!

Disputatio Philosophica

*Ex*

*Theologia Naturali,*

DE

**DECRETIS  
DIVINIS,**

*Qvæ*  
SUB PRÆSIDIO

DN. CHRISTIANI  
DONATI,

*Logice ac Metaphysice Professoris Publici  
Extraordinarii,*

Fautoris atqve Præceptoris sui plurimū honorandi,  
ad ventilandum proponitur

*ab*

A.R.

JOHANNE SCHARS, Stadensi,

In Auditorio Majori

*ad d. XVI. Julii horis antemerid.*

\*\*\*\*\*  
*WITTEMBERGÆ,*

Ex Officina Typographica JOHANNIS HAKEN.

*M. DC. LXXIII.*

-26

*Fr. n.*





05 A 666

PROOEMIUM.

**T**RIPLEM dari modum cognoscendi Deum, omnem extra aleam penes doctos positum est. Nam cognoscitur Deus vel per naturam, vel per creaturam, vel per Scripturam. Hinc triplex nostra in mente Dei cognitio oritur. Prima, quæ nobis congenita est, & quæ primùm ratio se exserit, feras actu sese prodit, γνῶσις ἐμφύτης dicitur, seu connata cognitio. Secunda verò, quæ ex creaturarum inspectione oritur, & quæ ex effectis causarum per discursum cognoscimus, γνῶσις επικτής, vel cognitio acquisita appellatur. Tertia demum, quæ unico isto principio, θεός αὐτὸς ἐστι, ntitur, & per solam sacram Scripturam obtinetur, venit nomine τῆς γνώσεως θεοσότης aut cognitionis à Deo profectæ, & in S. Scriptura r̄velatæ. De hoc posteriori modo cognoscendi Deum agit Theologia, duas verò priores species etiam evolvit Philosophia. Hæc enim, si maneat intra suos terminos, est veritas Dei, & multam in Ecclesia causatur utilitatem. Evidem, quamvis non gignat cognitionem salutarem, & quæ ad æternam vitam obtinendam sit sufficiens; est tamen προδαγωγὴς, & ductrix quædam, quæ manu quasi in illam inquirendam nos ulterius deducit. *Hinc D. Pappus in Hist. Eccl. Epitome p. 182. Philosophia, inquit, si quidem finibus ipsa suis contenta sit, & tanquam Hagar ancilla Saræ Dominae obtemperet, nihil in doctrina Ecclesiae turbabit, neq; divinis rebus sese immiscebit, aut ulla hereticis præbebit subsidia. Igitur Philosophia, cum sobriè, & ad hunc, quem diximus, modum tractatur, non modo contemnenda non est, sed diligenter etiam cognoscenda, utpote, quæ ex aspectibus his creaturis ad Dei invisibilis cognitionem aliquo modo nos deducat, ipsasq; hominum actiones, quantum ad hanc quidem civilem vitam pertinet, moderetur.* Et haec etenus D. Pappi verba verissima esse, liquido patet, quia plerique attributa divina ex lumine naturali de Deo sunt cognoscibilia, hoc est, per rationem naturalem ad eorum in Deo existentiam deveneri potest. Et huc spectant etiam Decreta divina,

na, quorum naturam & conditionem, in quantum sublimitas eorum permittit, per rationis & intellectus lumen investigabimus. Sed antequam ad ipsam tractationem progrediar, in frontispicio prius monendum duxi, quo ordine præsentem materiam gravissimam pertractare constituerim, nè lateat benevolū lectorem, quid hīc exspectare debeat. Contemplabimur itaq;  
I. Decretorum divinorum naturam ac quidditatem. II. Illorum qualitatem. Ac III. tandem eorundem varietatem. Hic ordo, hæc methodus erit. Quod ut cedat feliciter, Juva Jeboah!

### CAPUT I.

## De decretorum divinorum natura ac quiditate.

§. I. Initio supponendum est, dari in Deo Decreta de rebus futuris. Quod ut demonstrem etiam ex ipso naturæ lumine, parum mihi laborandum videtur. Docet id evidenter tam constantissima hujus universi ratio. Nulla creatura operari quicquam potest, immo ne ad momentum quidē existere, nisi ita vellet Deus, & nisi cum ad sustentationem, tum ad operationem creaturæ efficaciter concurreret. Tam caduca sunt omnia atque fragilia, ut omnia intercidere illicò necesse esset, quamprimum Deus voluntatem suam suspenderet. Et duravit tamen nihilo minus tanto temporis intervallo usq; huc universa mundi compages, nec quicquam remisit de pristino vigore atq; ordine, que olim tenuit. Quid igitur aliud inde colligere datur, quam quod benignissimus rerum conditor de tam uniformi mundi conservatione decretum quondam fecerit? Et si alias viri prudentis est, nil temere quicquam aut inconsideratè, nil citra animi propositum agere: quidni & Deo, qui ipsa sapientia est, omnesque rerum creatarum virtutes in se continet, conveniens putabimus, disponere prius ac ordinare sapienter, quam eveniant, quæcumque fieri voluerit? Sed hæc certò sunt, nec ubiorem, ut puto, confirmationem desiderant.

§. II. Postquam igitur existentia Decretorum divinorum evicta est, nunc eorum quidditas exponenda erit. Hæc ex nomine

mine primum aliqualiter, post ex definitione ipsa intelligetur plenius. Quid Decreti vox significet, neminem facile latere existimo. Notat illa, cum hominibus tribuitur, vel dogma aliquod atq; placitum, vel quicquid cognitâ causâ ab eo, qui sententiam ferendi potestatem habet, pronuntiatur, vel denique, quod post antegressam deliberationem mentis nostræ de re agenda statuitur. Atq; in hoc ultimo significatu eam in praesenti quoq; attendimus, ubi de Deo eandem usurpamus. Ita verò vicissim dupliciter potest accipi; vel activè, ut actum decernendi significet; vel passivè aut objectivè, ut sententiam decretam notet, quæ quasi objectum est illius actus, quô quid decernitur. Non posterior, sed prior acceptio hujus loci est. Ubiqui tamen observes velim, ab omni imperfectione liberandum esse hunc terminum; non enim, cum Deo decretum tribuitur, discursum aut consultationem præcessisse putandum est, sed simplicissimus divinæ voluntatis actus innuitur, quô, quid fieri debet, decernitur, ad eum modum, qui operationi Dei imminentि conformis est. Dicitur alias Consilium Dei, aut Consilium voluntatis divinæ: non, ac si Decretum actus intellectus sit, ad quem alias spectat consilium: multò minus, ac si deliberatio aut inquisitio rei ignotæ, quæ comitatur humanum consilium, in Deo locum inveniat, (ita enim rectè Scaliger Exerc. 367. sect. 8. Tam est impia vox in divinis, inquit, consilium, quam pluralitas Deitatis. Non disceptat, non ratiocinatur, non ponit, non colligit, non cum alio confert, non ab ullo accipit.) Sed quod Deus non temerè & inconsideratè, d. consultò & ordinatè decernat; uti homines judiciosi atq; prudentes haud temerè aliquid secum statuere dicuntur, dum consilium super re proposita ineunt. Vocatur etiam Propositum atque Beneplacitum Dei: quia quod Deus decernit, aut proponit, ipsi placere oportet, alias nō ferretur in id ipsius voluntas. Quandoq; & Sententia appellatur; non ut hæc vox præcisè animi judicium notat, aut prædicationem pœnarum conditionalem (quo sensu Greg. M. apud Meisnerum in Philosoph. Sebr. P. i. sect. 4. q. 9. ait: Novit Deus aliquando mutare sententiam, sed nunquam novit mutare consilium) sed ut propositum animi perfectum ex certo consilio profectum

significat. Aliás idem ac Dispositio quædam aut Ordinatio rerum futurarum est. In Theologia aliquod Decretum Prædestination & Electio dicitur : de quo videantur ipsi Theologi. Sed satis hoc usq; de nomine.

§. III. Nunc de re ipso dispiciendum paulò sollicitius. Variæ hic formantur à Philosophis Decreti descriptiones. Scheblerus L. 2. Metaph. c. 3. n. 263. Decretum nihil aliud esse dicit, quam cognitionem vel intuitum rei faciendæ. Sed hæc descriptio non satis bona videtur esse: quoniam decretum non actio intellectus, sed voluntatis est. Alii aliter hic procedere solent, de quo quidem ut prolixè dicam, non attinet. Mihi ita definire Decretum placet. Decretum est actus divinæ voluntatis internus, quo Deus res possibiles ac indefinitas determinavit futuras. Datur hic itaque conceptus Decreti tūm communis tūm proprius. Communis, actus divinæ voluntatis internus est. Ubi dum actum voco, ali quid contradistinctum essentiæ & attributis divinis innuo. Non enim Decretum formaliter vel ipsa essentia est, vel attributum ejus, sed quod pro principio sui immediato aliquod attributum agnoscit. Præterea dico: voluntatis divinæ. Hæc ipsa enim est immediatum Decreti divini principium. Quo ipso haud obscurè Decretum à divina scientia vel intellectione discernitur. Etsi enim Decretum presupponat rerum intuitum atq; scientiam; non tamen formaliter in ea consistit, sed dicit aliquod ad eandem consequens, & à voluntate per modum appetitionis profectum. Sed cum non omnis actio voluntatis Decretum sit, propterea *internum* addidi: ut significareim, non terminari Decretum immediate ad aliquid extra Deum positū, sed potius in ipso Deo recipi, & manere quasi intra ipsam Dei substantiam. Ita verò perspicuè ab actionibus Dei transeuntib; distinguitur: cujusmodi sunt Creatio, Conservatio, Concursus atq; Gubernatio. Neq; tñ. putandū, ac si omnis actus voluntatis divinæ immanens Decretū sit. Præterquam n., quod Deus voluntate suâ etiam feratur in seipsum, non tñ. seipsum decernit; haud dubiè etiam res præsentes sua voluntate prosequituri, quas tamen decernere iterum minimè dici poterit. Ut taceam, quod & alii actus voluntatis dentur, v. g. Misericordia, Justitia, Gratiæ,

tia, Ira, Odium &c., qui tamen ad Decreta haud referri poterunt. Quapropter ut discerneretur Decretum ab his atque cœteris divinis actionibus, addidimus etiam in Decreti descriptione proposita, conceptum aliquem contrahentem, seu proprium.

§. IV. Sed priusquam me ad hunc exponendum conferam, hic decidenda mihi est aliqua controversia, quam movet circa antecedentem doctrinam nonnulli malè-sani homines. Quaritur scilicet: an, cum Decreta actus voluntatis divinae vocantur, distincta sint à divina essentia realiter; num verò à parte rei sint idem cum ipso Deo? Communis hic & apud omnes (paucis solùm exceptis, quos infrà nominabo) recepta huc usque fuit sententia, quod etsi formaliter & conceptu Decreta ab essentia divina differant, minimè tamen realiter ab eadem distincta sint, d. à parte rei ipsam essentiam Dei dicant, & quidem cum connotatione inclinationis ad res faciendas.

§. V. Quod ne frustrè asseruisse videar, propter adversarios nonnullos mihi probandum incumbet. Primò quidem id ex voluntate Dei constat; quippe de qua constat inter omnes, quod à parte Dei cum essentia divina sit idem, licet à nobis, secundùm nostrum concipiendi modum ut distinctum quid ab essentia divina considerari possit. Quæ tamen distinctio, cum rationis saltem, non realis sit, veritatem rei, uti in se est, non evertit. Jam verò cum Decreta divina sint actus voluntatis, actus verò voluntatis in Deo ab ipsa voluntate non differant, sed sint ipsa potius voluntas saltem inadæquatè concepta; satis perspicuum est, Decreta divina cum essentia Dei esse planè idem, & sic ipsissimum Deum.

§. VI. Secundò. Decreta divina cum nō esse Dei idem esse probo exinde, quia si Decreta divina distinctum quid essent ab essentia ipsius Dei, necessum esset, ut distingveretur vel secundùm rem, vel secundùm rationem. Si hoc; concedimus ab essentia divina tali modo distincta esse: verùm eo ipso nihil aliud sequitur, quām quod Decreta divina, in se non distincta, nostro ab intellectu ut distincta concipientur, à parte Dei autem cū essentia divina maneat nihilominus idem. Quod, cum nihil

absur-

sundi importet, admitti omnino potest & tolerari. Quod si ve-  
rò secundum rem Decreta ab essentia divina distincta dicantur,  
tum illa aut erunt modus, aut accidentia, aut substantiae. Si  
modos dicas, Deus compositus erit ex subjecto & modo: id  
quod simplicitati ejus perfectissimè absolutè repugnat & con-  
trariatur. Si accidentia esse asseris, multa alia & infinita ferme  
seqventur absurdia. Nam ut pauca saltem commemorem: (α) Deus  
hoc modo compositus statueretur ex subjecto & acciden-  
te, id quod tamen repugnat maximè absolutissimè & perfectissi-  
mè ejus simplicitati; quippe, quæ nequaquam admittit duo ex-  
trema componentia, actu & ex natura rei distincta. (β) Deus  
non infinitè & absolutè in genere entium perfectus esset, sed  
posset adhuc perfici magis ab eo, quod ipsi accederet forinse-  
cùs, puta à Decretis divinæ essentiæ instar accidentium super-  
additis. Sunt enim accidentia quædam perfectiones acciden-  
tales, quæ dum adduntur suo subjecto, cum ante non adfue-  
rint, illud perfectius reddunt. (γ) Nec amplius Deus exclude-  
ret omnem defectum & imperfectionem, verum includeret  
omnem defectum & imperfectionem, verum includeret poti-  
ùs aliquam receptivitatem, & potentiam passivam ad ulteriore  
perfectionem admittendam: id quod tamen ipsi, tanquam actu  
purissimo, repugnare nemo non intelligit. Demum verò si  
Decreta divina substantias ab essentia Dei diversas affirmave-  
ris, plures substantias ab æterno fuisse, imò plures omnino De-  
os esse disertè pronunciabis: id quod non tantum rectæ rationi  
è diametro contrarium, sed & prorsus impium atque blasphe-  
mum est.

s. VII. Tertiò, Decreta divina esse ipsam essentiam divi-  
nam, ex eo quoq; principio probari potest, ac deduci, quod ab  
ipsis omnia dependeant, seu à causa prima. Prima autem re-  
rum omnium causa dici nequit aliquid in genere causati à Deo  
productum. Unde argumentor ita: Quod est rerum omnium  
causa prima, illud non potest dici in genere causati à Deo pro-  
ductum, & sic per consequens à Deo ex natura rei non distin-  
ctum est. Atqui Decreta Dei sunt &c. Ergo. Majoris conse-  
quentia liquet, quia prima illa causa tantum Deus est, qui cau-  
satum

satum nullo modo dici potest. Unde id, quod hanc notam Dei genuinam habet, quod sit rerum omnium prima causa, verè Deus est, ita ut isthæc nota nulli creaturæ conveniat, sed solius Dei, entis independentis sit nota characteristicæ. Minor etiam suâ luce claret, & facilis probatu est: Quia, quod aliquid futurum, non habet aliunde nisi à Deo, qui id voluerit, atque decreverit.

§. VIII. Quartò. Tandem pro sententia nostra argumentum ab impossibili petimus. Si enim realis distinctione inter Deum ipsum & Decreta ejus daretur, sequeretur, Deum esse Decretorum divinorum causam, & hæc effectus divinos. Athoc impossibile est. Nam cum illa non possint esse aliquid à Deo productum, ut jam ostendi, neq; ejus effectus dici possunt, quoniam negato actu productionis, quo mediante effectus producitur, atq; efficitur, etiam effectum ipsum negari necessum est. Et posito, sed nunquam concesso, Decreta divina esse effectus, aut erunt effectus emanativi, aut activi. Si emanativi, non tm. in Deo darentur accidentia, sed insuper etiam sequeretur, Decreta divina esse dependens quippiam, dependentiā causalitatis & subjecti. Hæc autem quām falsa sint, ex antè dictis facile colligitur. Si verò activi: tum sunt vel effectus immanentes, vel transeuntes. Si immanentes, sequitur iterum, quod ab essentia divina, ut à causa se priori, dependeant; & sic Deus ab omni parte non esset beatissimus, neq; in statu optimo. Verum hoc rursus impossibile est, cum hoc sit Deum non esse Deum. Si transitivi dicantur; tum id asseritur, quod non tantum contra hypothesis adversæ partis, sed & ipsam rei veritatē est: quoniam sic Decreta non essent æterna, sed creaturæ in tempore à Deo productæ & creatæ: nam actus seu effectus transitivū Philosophis illi sunt, qui non in illo supposito, à quo oriuntur, recipiuntur, sed ad subjectum diversum transeunt. At regeret fortasse hic quispiam: quod tamen nos Decreta definiamus per actus. Dico igitur breviter; nos actus istos intelligimus, non ut sunt aliquid distinctum ab ipso Deo seu essentiā Dei, verum ut sunt ó θεος αὐθετατο. Quod autem illos, ut distinctum quid ab essentia divina, consideremus, illud fit tantum secundum nostrum

nostrum concipiendi modum, per distinctionem mentalem & verbalem, non realem. Quod quia adversarii non faciunt, sed actus istos Decretorum divinorum ab essentia divina diversos esse volunt, non possunt aliter, quoniam in illa absurdum, antea adducta, prolabantur.

§. IX. Sed cum ea, quam huc usque tetigimus, controversia praecipuum sit in hac materia difficulti, adversarios ipsos aggrediemur, quorum erroribus recensitis objectiones non nullas perpendemus, & quantum in nobis est, diluemus, quod eodem firmius stet nostra de Decretis divinis sententia. Errant autem hic ( $\alpha$ ) Ariani, qui volitionem divinam à substantia Dei olim distinguebant, uti ex Cypariss. decad. 10. c. 3. Clotz in Pneumat. disp. 13. tb. 5. p. 715. recenset. ( $\beta$ ) Crellius, qui libr. de Deo c. 32. p. 346. Decreta Dei esse ipsam essentiam negavit. ( $\gamma$ ) Vorstius, infelix ille Doctor Belgicus, imprimis hoc nostro tempore turbas dedit. Is enim de novo Arianorum & Socinianorum crabones dormitantes excitare haud erubuit, dum & ipse volitionem ab essentia Dei diversam esse docuit. Realis, inquit, distinctione inter Dei essentiam & voluntatem, hoc est inter Deum ipsum volentem, & ipsius actum volendi ad extra manifeste deprehenditur. Hic enim specialis & extrinsecus actus nihil omnino pertinet ad essentiam Dei, cum possit non talis esse, qualis est, immo cum processus in Deo possit non esse &c. tr. de Deo p. 341. seqq. ( $\delta$ ) Tandem & Schulerus lib. 2. Exerc. Phil. exerc. 17. q. 3. p. 181. his adstipulari videtur, dum Decretum non nisi ratione & in conceptu nostro differre ab essentia Dei negat, & contra plus, quam ratione & per mentis operationem, distingvi affirmat.

§. X. Sed videamus, quid objiciant. ( $\alpha$ ) Urget Vorstius Decretorum divinorum contingentiam, taliter inferendo: substantia Dei non est libera, sed necessaria. Decreta Dei sunt aucti liberi & non necessarii. Ergo Decreta Dei non sunt ipsa substantia Dei. Verum responsio facilis est. Nam ( $\alpha$ ) dupliciter Decreta Dei considerari possunt, vel quoad esse, vel quoad terminari; Priori modo negatur subsumptio: uti enim ipsa essentia divina est necessaria, sic & decreta divina, quippe, quae à parte Dei aliter esse non poterant, nisi mutabilitatem quandam aut

aut contingentiam in Deo admittere audeamus ; quod certè esset divinæ naturæ summam perfectionem evertere. Posteriori verò modo concedimus decreta illa esse libera , quatenus scilicet illa liberam notant sui determinationem & applicacionem ad hoc vel illud objectum. (B) Quamvis Decreta per modum actus intelligentur , non tamen hinc statim sequitur , quod sint propriè dicta actio ; cum & alia in Deo dentur , quæ vel per modum potentiarum , vel per modum habituum concipiuntur , nec tamen statim illa potentia aut habitus sunt. Frustrè ergo collectio petitur ab actibus in rebus creatis , ad actus in rebus increatis , cum longè diversa sit utrobiique ratio.

s. XI. Objicit (2) Vorstius varietatem Decretorum divinorum ; inde enim putat evinci posse , quod illa non sint idē cum essentia divina , sive substantia Dei , quippe , quæ unica sit , & simplicissima ; Verū impingit iterum eiundem in lapidem Vorstius , quo antè offendebatur. Si quidem Decreta divina relativè considerentur , respectu scilicet termini , sive objecti , tum multiplicia illa esse concedimus. Si verò considerentur ut actus voluntatis divinæ , & absolutè citra respectum ad terminum , negamus varia esse Decreta divina , cùm unum sint cum essentia Dei , quia uno & simplici actu Deus decernit omnia citra mutabilitatem voluntatis suæ . Sic non est aliis actus , quo olim decrevit creare mundum , & aliis , quo decrevit eum rursus aliquando destruere. Quapropter Decreta Dei , quæ sunt à parte Dei decernens voluntas , non erunt varia aut multiplicia , nisi denominativè , & relatione ad terminum tantum. Sed quod hoc modo varium est , à parte sui & absolute spectatum , potest esse unicum & uniforme.

s. XII. Tandem Vorstius (3) objicit dependentiam illorū Argumentatur ferme hunc in modum. Omnis actus dependens à Deo , non est ipse Deus , sed aliquid ei accidens. Atqui Decreta divina sunt &c. Ergo. Minorem probat : pendent , inquit tr. de Deo l. c. *decreta Dei à natura voluntaria , nempe libera Dei voluntate , omnis verò causa libera antecedit suum effectum ordine temporis seu durationis.* Quandoquidem omnis libera actio necessariò presupponit deliberationem in intellectu. Respondeo (a)

B 2.

ad



ad Minorem, negando, quod Decreta divina à Deo, tanquam prima causa dependeant: frustra siquidem supponitur, actus Decretorum divinorum à Deo realiter distinctos esse. Sunt enim Decreta Deo intrinsecā, adeoque ipsa essentia decernens: unde non possunt dependere ab alia causa, cum nihil à seipso dependere queat, dependentiā propriè dicta. Imò supra ostendi, quod ipsa sint omnium rerum causa, à qua reliqua omnia dependeant. (β) Qvod si tamen voluntas in Deo per modum alicujus attributi & quasi facultatis spectetur, Decretum verò per modum alicujus actus quasi secundi inde resultantis; tum facile concedimus, quod Decretum à voluntate divina aliqualiter dependeat, scilicet non realiter, sed per modum nostrum concipiendi, tanquam principiatum à principio virtualiter causante. (γ) Atq; hæc quidem de Decretis absolutè spe&tatis, prout actus Dei immanentes sunt, intelligenda veniunt. Alias si relativè ac terminativè, cum habitudine scilicet ac terminatione ad objecta vel effectus productos considerentur; tum nullum est dubium, quin pro causa sui propriè dicta voluntatem divinam agnoscant. & ab eadem verè & propriè dependeant. Sed hic posterior considerandi modus alienus ab hoc loco est. (δ) Ad ultima verba probationis dico; falsissimū esse, quod libera Dei actio in Deo deliberationem præsupponat: licet enim in humanis modus iste obtineat, ut prius deliberatio instituatur de objecto aliquo, antequam de illo decernatur: secus tamen sit in rebus divinis, captum nostrum exsuperantibus. Ab illis igitur, ut səpiùs dixi, argumentari ad has, non minus absurdum est, quam ridiculum. Imò dicam magis quid: ejusmodi in humanis deliberatio præsupponit aliquam ignorantiam, quia homines non sunt omnisci, unde discursus priùs opus habent, ad rerum sensibus objectarum naturam & qualitatem inquirendam, priusquam eas, vel ob bonitatem, qvā habent, appetere, vel ob malum, quod in se continent, aversari possint. Attalis ignorantia in Deum non cadit, cum sit omniscius. Quapropter nec discursus opus habet, sed sine ulla deliberatione & persuam essentiam decernit.

§. XIII. Atq; ex his etiam Schuleri rationes facile refutari pos-

possunt. Istr̄es pro sua sententia l. c. adducit: (1) quia Decretum, ait, est verus actus à voluntate Dei verè dependens: non sic essentia. (2) quia Decretum est actio Dei libera, quæ posset non esse: non sic essentia, quæ est ens absolute necessarium, & non potest non esse. (3) quia Decretum realē dicit relationē ad extra, essentia verò dicit entitatem absolutam. Sed de duabus prioribus, quantum saterat, in antecedentibus dictum est. Ad ultimam dico, quod relatio non sit aliquid à fundamento realiter diversum, sed ipsa essentia fundamenti cum connotatione termini. Igitur relatio ista, quam habet Decretum ad suū terminum existentem, si ex parte Dei spectetur, quā rem ipsā nūl aliud, quām ipsa Dei volitio est, adeoq; nec realiter, ut ante patuit, distincta: sin ut aliquid extra Deum, meram denominationem ex termino coëxistente ortam dicit.

§. XIV. Dictum aliquoties & simul etiam probatum est, quod voluntas Dei sit causa Decretorum. Quæri itaq; occasione hujus asserti potest: an non tamen extra Deum aliqua causa Decreti detur? Dicimus breviter: (α) quod si de causa efficiente seu producente physica sermo sit, multò minus eam extra Deū respectu Decretorum divinorum posse dari: tūm quod Decreta illa non differant à divina essentia, quam causari aut produci aliunde est impossibile: tūm quod alioquin Deus in actionibus suis ab agentibus finitis dependeret, quod absurdum esse nemo non intelligit. (β) Attamen si de causa impulsiva aut finali instituat quæstio, quin talis hīc afferenda sit, nullum puto esse dubium. Certè etiam gentiles nōrunt, moveri Deum per cultum à creaturis præstitum ad remunerationem, moveri per preces ad exauditionem. Quidni igitur aliunde etiam moveri possit ad Decretum faciendum? Ac certè fidem asserto faceremus indubitam ex sacris dogmatibus, si id nostri fōri esset. (γ) Ubi tamen iterum repetendum est id, quod səpiùs inculcavi: spectarūtum Decreta divina non ratione principii, sed termini, cum ipsis aliqua causa assignatur. Conf. hīc Magnif. D. Calovium Tom. II. Syst. c. 9. q. 5. 482. seqq. & Dn Rudrauf. in Philosoph. Theol. Exhib. 6. §. 27. p. 72.

§. XV. Sed satis de conceptu communi Decretorum. Re-

stat ut de proprio dicamus. Is ab objecto partim, partim à termino petitus est. Objectum (non volitum, sed ex quo, seu quod antecedenter se habet; Terminus à quo appellatur ab aliis) sunt res quævis possibles ac indefinitæ. Terminus (scilicet ad quem, qui & objectum volitum, ac consequenter se habens nonnullis dicitur) sunt res ad esse determinatæ futurum. De utroq; mihi hīc nonnulla exponenda erunt.

§. XVI. Dico objectum Decretorum divinorum esse res possibles. Id ex his facile probari & colligi potest. (α) Cum illud sit Decreti divini objectum, è quo Deus nonnulla sibi desumit, quæ vult fieri, neq; tamen quædam è futuris velit fieri (vult enim omnia futura fieri) sed tantum è possibilibus; sequitur, objectum Decretorum Dei esse omne possibile, quæ tale, nullo habito respectu vel ad futurum vel ad non-futurum. (β) Quoniam Decretum est rerum definitio, hæc autem in eo sita est, ut ex iis, quæ intellectus objectivè æqualiter respicit, quædam voluntas ad essendum, determinet, hoc est, in statum futuritionis perducat: relinquitur, quod ipsæ res possibles, seu quæ futuræ esse possunt, objectum Decreti sint. (γ) Quia Decreti objectum, antecedenter se habens, ipso Decreto, quod circa id versatur, in signo rationis, ut loquuntur, prius est. At hoc nullum aliud esse potest, nisi omne possibile, ut præscindit adhuc à rebus non-futuris ac futuris. Non enim res non futuræ illud sunt, quia ex his Decretum nullam definit. Neq; etiam res futuræ: quia hæc statu possibilitatis in statum futuritionis per Decretum divinum collocantur, & sic sunt posterius quid ipso Decreto. Relinquitur Ergo, quod illud sit omne possibile, circa quod antecedenter Decretum divinum occupatur.

§. XVII. Quo ipso porrò patet, quod ab objecto Decreti divini excludantur impossibilia. Loquor autem de impossibilibus, non iis, quæ nobis ita videntur aut apparent, sed quæ naturâ suâ talia sunt. Illa enim Deus omnino decernit. E. g. creare aliquid ex nihilo, quibusdam impossibile videtur, juxta illud principium: ex nihilo, nihil fit. Quod sanè aliquos ita vexavit, ut statuerint, mundum fuisse ab æterno. At Deo hoc non fuisse impossibile, ipsa Dei perfectio & omnipotentia testatur,

tur, quâ non tñ., quicquid est, ex nihilo negativo condidit, d.  
& alia quævis adhuc producere potest. De ejusmodi igitur im-  
possibilibus nobis sermo non est, sed de illis, quæ suâ naturâ &  
in se talia sunt. Hæc dico non pertinere ad objectum Decre-  
ti divini. Ratio hæc est, quia Deus in illis nullam videt bonita-  
tem: hinc positivâ voluntate ea decernere non potuit, qnipe  
quæ tantùm in bonum fertur. Adde, quod illa in statum futuriti-  
onis ne quidem deduci queant, ut entia actu existentia fiant, ad  
quæ tamen unicè terminantur Decreta Dei; uti pòst patebit.

§. XVIII. Tenendum v. hic probè, quod b' possibile hic non  
accipiatur, prout impossibilitantùm opponitur, atq; id notat,  
quo posito in actu evenit impossibile, sed etiam in quantum en-  
ti actuali contradistingvitur, atq; adeò enti in potentia seu illi,  
quod nondum est, esse tamen potest, æqvipollit. Nam priori  
sensu etiam Deus possibilis dici potest, quem tamen sub objecto  
Decretorum non contineri est in proposito. Alias enim esset  
aliquid futurum, quod aliquando non existisset: decreta nam-  
que Dei tantùm circa ea occupantur, quæ futura sunt, & olim  
non fuerunt. At Deus ita ab æterno fuit, ut non potuerit non  
fuisse, & ita porrò in æternum erit, ut aliquando non possit non  
esse. In hunc tempus aliquid non cadit, neq; præteritum, neq;  
præsens, neq; futurum, sed in ipso perpetuum vñ est, in quo o-  
mnia sunt præsentia. Ac licet Deus sit objectum voluntatis suæ,  
ob actionem scilicet illam internam, quâ seipsum vult & amat,  
non tamen statim inde sequitur, quod etiam sit objectum De-  
creti sui, cum hoc sit aliqua actio, quæ ad extra sive ad objecta  
extra Deum posita se extendit, quâ scilicet Deus alia à se vo-  
luit, & ut futura sint, idq; hoc vel illo tempore &c. præfinivit.  
Quod sanè Decretum cum quovis voluntatis actu minimè con-  
fundi debet, quia Decretum respicit suum objectum ante suam  
existentiam (neq; enim Deus rem præteritam aut præsentem  
decernit.) At voluntas etiam fertur in rem ne præsens est. Patet  
itaque, quod volitio & Decretum inter se differant: nam o-  
mne quidem Decretum est volitio, sed non contrà omnis voli-  
tio est Decretum. Unde omne Decreti objectum est etiam vo-  
litionis objectum; non tamen contrà, omnis volitionis objectū

Decre-

Decreti divini objectum est, ut ex dictis satis liquidum est. Adeo, quod Decretum tantum circa res producibles versetur, in quarum numero tamen minime Deus comprehenditur, ut quiens est absolute necessarium, & in seipso nullam sui causam agnoscens. Ceterum uti Deus in genere illorum possibilium, quae objectum Decretorum divinorum esse dixi, non includitur, ita nec coeterae res actuales ad istud objectum pertinent. Quippe, quae terminus potius, quam objectum Decretorum descendit sunt: uti post constabit.

§. XIX. Atque ita se habet objectum quasi materiale Decreti. Addidi verò: ac *indefinita*. Quo ipso modum quasi considerandi seu formale objecti innuere volui. Quippe possunt illae res possibiles, quas ante dixi, dupliciter spectari: vel, ut in neutrā partem, sive ut fierent, sive ut non fierent, definitæ, h. c. prout à futuritionis & non-futuritionis statu præscindunt: vel ut ad essendum determinatae sunt. Priori modo ad Decretum antecedenter se habent, posteriori modo consequenter. Ex quo non posteriori, d. priori modo accepta objectum Decreti, de quo hic loquimur, constituunt. Nam si posteriori modo spectentur, sunt ipsius terminus.

§. XX. Terminus itaque Decreti sunt res ad essendum determinatae, seu è statu possibilitatis translatæ in statum futuritionis: vel, unico verbo, ipsa rerum futuratio ad certas circumstantias, loci, atque temporis restricta. Idque probo ( $\alpha$ ) exinde, quia res ad essendum determinatae sunt ipso Decreto posterius quid; quæ characteristicæ nota est objecti, quod consequenter ad Decretum divinum se habet. ( $\beta$ ) Quia res istæ, quas dixi, sunt volita illa, quæ Deus voluit fieri. Quæcunq; ergo ut volita Deus fieri decrevit, illa sunt terminus seu objectum, quod consequenter se habet ad Decretum divinum. Atqui futura, tanquam volita, Deus fieri decrevit. Ergo. ( $\gamma$ ) Quia Decretum divinum est rerum futurarum causa, Hoc ita probo. Aut res futurae habent futuritionem à se, vel aliunde. Non à se: & quia ab eterno non fuerunt, futuritionem autem suam habuerunt: & quia nihil potest esse sui ipsius causa, ut sit, ergo nec ut sit futurum: & quia ante futuritionem suam nihil habuerunt, nisi meram pos-

sibili-

sibilitatem, quæ futuritionis causa esse non potest. Si aliunde: ergo ab ipso Decreto Dei, quō eas fieri voluit, & esse decrevit. Si itaq; Decretum Dei est causa futuritionis earum, necesse est, ut res futuræ sint terminus ejusdem.

§. XXI. Vidimus, quisnam sit terminus Decretorum di-  
vinorum. Quod ut rectius intelligatur, eundum jam per spe-  
cies, & quænam sint ea, quæ sub illo contineantur, exponen-  
dum breviter. Dico, huc pertinere non tantum Angelos &  
homines, sed & creaturas reliquas, etiam vilissimas, quotquot  
exstiterunt olim, vel jam adhuc existunt, vel aliquando exsti-  
turæ sunt. Has omnes Deus creare decrevit, adeoq; per Decre-  
tum fecit futuras. Neq; is tantum earum existentiam præfini-  
vit, verūm etiam omnes illarum actiones, cum certis circum-  
stantiis, futuras constituit, ita tamen, ne quid derogaretur i-  
psorum, si quo polleant, arbitrio.

§. XXII. Sed hīc gravissima incidit quæstio de Malis: an  
& illa sub objecto seu termino Decreti divini contineantur. U-  
bi quidem initio probè distingvendum est inter Mala culpæ &  
pœnæ. Quod ad Mala pœnæ attinet, nullum est dubium, quia  
à Deo decreta sint. Hæc enim in se mala non sunt, tametsi nobis  
propter dolorem, quem secum afferunt, ita videantur. Quia  
cum Deus ea nobis immittit, facit id propter suam justitiam &  
nostram utilitatem. Ob suam justitiam quidem, ut se ultorem  
malorum culpæ, quæ perpetravimus, esse ostendat acerrimū,  
qui mala e jusmodi valde detestetur. Ob nostram verò utilita-  
tem, ut mala culpæ deinceps fugiamus, & in bonum, quantum  
in nobis est, nitamur.

§. XXIII. Quòd verò Mala culpæ concernit, ea minime  
sub objectum Decreti divini cadere assero. Idq; sequentibus  
rationibus evidenter ostendo. Primum enim homo nil quicquam  
vult vel appetit, nisi quod rationem alicujus boni, ad minimum  
apparenter talis, obtinet, malum verò, quantâ potest industriâ,  
aversatur & odit. Et si quando contingit, ut malum appetat,  
tum id vel ex ignorantia & errore judicii a. intellectus, vel  
a ratiōne & inordinatione voluntatis proficiuntur. At DEUS,  
cùm infinitâ perfectione polleat, & tūm intelligendo tum volē-

C

do o.



do omnem defecum atq; in ordinationem excludat, penitus, nullum certe malum appetere potest. Id quod ex eo adhuc clarius intelligimus, quod malum ut malum disformatum dicat ad voluntatem divinam. Jam vero, quod disforme est voluntati, illud volibile non est: & consequenter si Deus vellet aliquid suæ voluntati disforme h. e., vellet, quod non vellet: quod est manifesta contradic<sup>tio</sup>. Accedit, quod justitia Dei atq; sanctitas perfectissima haudquaquam permittat, ut ipsius voluntas circa mala seu appetendo seu approbando ulla ratione versetur. Ex quibus jam evidenter constat, quod quia Deus nō potest velle mala, ea etiam nec decernere potuerit: quoniam decretum Dei nihil aliud, quam certa rei futuræ est volitio.

§. XXIV. Quapropter non tantum errant magnoperè, verum etiam prorsus blasphemari sunt illi omnes, qui Deum peccatum, ab æterno decreuisse impudenter asserunt. Cujus sententiæ patronos benè multos, ex secta præsertim Calviniana, Nostrates Theologi in suis scriptis passim annotare solent. Miliu-  
num saltem ex Philosophis adduxisse sufficiat. *Paulus Voetius in Theol. Nat. Resor. c. 13. §. 2. n. 21.* totus in eo est; tanquam pro divino honore pugnaturus, ut Deum voluisse malum fieri se permittente, seu Decreti terminum etiam esse malum culpæ, evinceret. At vero blasphemam hanc esse sententiam, modisque omnibus execrandam Christianis, hæc facile docent, quæ supra proposui. Primum enim ostensum est, quod Decretum nihil aliud, quam volitio divina sit. Juxta hanc igitur assertionem dicendum, Deum voluisse seu appetuisse mala, tanquam suæ voluntati congrua. Deinde vero constat, quod Decretum causa sit rei, in tempore productæ. Quod si igitur peccatum Decreti objectum est: quid quo<sup>rum</sup> aliud, quam Deum peccati causam atque autorem esse, inde sequitur.

§. XXV. Sed ut istius autoris fraudulentia animi pateat, & quam sophisticè hic agat, in lucem protrahatur, recensebo ac refutabo breviter argumenta, quibus ille pro confirmingo suo errore utitur. Deum voluisse, *inquit*, per accidens boni malum fieri, malum evenire, hisce rationibus s<sup>u</sup>aderi potest. (a) cum ex eventu constet, mala seu peccata in mundum introi-  
viss<sup>e</sup>

visse: aut illa mala introiverunt Deo contrarium volente, aut ea permittente. Si posterius, habebo intentum, puta, Deum voluisse per accidens boni ea permittere, ut intrarent mundū. Si verò prius, aliquid Deo renitente evenit &c. Atque eodem etiam tendunt secundum atque tertium argumentum. Sed h. aliud est Deum voluisse malum fieri: aliud Deum permisisse fieri. Prius ipsi probandum erat, juxta thesin præmissam: & probat tamen posterius, quod nos concedere optimè novit. Etenim nos ambabus, quod dicitur, largimur manibus, quod Deus velit permissionem peccati; neq; tamen propterea vult ipsum peccatum. Recte Ludov. Crocius (citante Dn. D. Calvio l. d. p. 453.) *Malitia ut non efficientia ac potentia divina, ait, ita nec voluntatis objectum est. Idque nec immediate, neq; mediate per permissionem, quia haec non notat actionem, sed actionis suspensionem, sive non-actionem, cui objectum nullum propriè esse potest.* (6) Quartū argumenti loco ita infert: Si ex eo, quod Deus velit per accidens boni mala fieri & evenire se permittente, nulla in divina voluntate appareat indecentia: quidni talis voluntas circa tale objectum admitti poterit. Sed verum est prius. Ergo Min. probat ex eo, quod Deus sit, ut potentissimus, ita sapientissimus, adeoq; universi & omnium in eo moderator, atq; supremus arbitrus, cui omnia sint concredita &c. Resp. In Minore supponi id, quod probare adhuc debebat. Et ostendi ego. S. 23. quām indecens sit dicere, Deum velle mala fieri. Sed num is fortasse mitigat, & ad bonum sensum restringit assertionem hanc per limitationem istam, quando addit, se permittente? Minimè gentium. Nam ita nihilominus Deum appetere revera mala affirmat, licet conjunctum cum ejus permissione. Quippe longè diversa sunt, Deum velle permettere peccata, & Deum velle peccata fieri se permittente. *Licet Deus peccatum permittat volens, non invitus* (præclare inquit summus ille noster Theologus l. c. p. 455.) *voluntas tamen & permisso circa diversa versatur objecta: voluntas enim circa permissionem at permisso circa peccatum est.* Hinc aliud est permettere volenter, aliud permisive velle: illud benè dicitur, hoc male: illic voluntas respicit permissionem, hic male & peccatum. *Quod licet permittat illud, tamen non approbat, cum a-*

*Iudicis voluntas permittens, aliud approbans.* (γ) Quinta collectio  
huc credit, quod cum omnia fiant, Deo, ut fiant, permittente, se-  
quatur omnia fiant Deo, ut fieri possint ( scilicet ab hominibus  
peccantibus ) permittente : non tamen quod omnia fiant, Deo  
permittente, ut fiant, h.e. Deo jubente aut ita ordinante, ut ad  
præcedentem Dei permissionem necessariò fiant. (δ) Dist. inter vo-  
luntatem Dei permissivam positivè ac negativè talem. Illa dici-  
tur, qva qvid saltem non impedit, cum possit, nulla adveniente  
approbatione aut efficaci concursu. Largimur peccata fieri volun-  
tate Dei permissiva, posteriori sensu accepta. Sed quæritur jam  
de priori. Qvanquam de cœtero rectius fortasse dicatur, fieri pec-  
cata ( ab hominibus ) Dei voluntate ita permittente, seu non im-  
pediente, qvam fieri ea voluntate Dei permissiva, quam per ean-  
dem. Prior enim phrasis longè tutior est posteriori.

§. XXVI. Interim concedimus hīc, quod permissionem ma-  
li Deus decreverit. Illa enim cum nihil pravitatis in se includat,  
potest certè voluntatis divinæ objectum esse. Neq; tamen inde  
inferre licet, qvæsi propterea hominem peccare oporteat: qvan-  
doqvidem malum istud, cuius permissio saltem decreta est, non  
necessariò ad illam permissionem seqvitur, sed ex libertate agen-  
tis, ita, ut etiam seqvi non potuisset, si ita voluisset agens, etiamsi  
ipsius permissio decreta fuisset. Addimus etiam hoc, quod & cæ-  
teri actus divinæ providentiae circa malum à Deo decreti sint, qua-  
les sunt ipsius prohibitio, determinatio, remissio atque similes;  
ita tamen ut ipsum malum decretum Dei minimè attigerit.

§. XXVII. Diximus suprà terminum decretorum divinorum  
res futuras esse. Enimvero moveri hīc qvæstio solet, qvæ qvidem  
curiosa magis ac subtilis, qvam fructuosa videbatur: annon etiā  
per decretum Dei cœteræ res non determinatæ non futuræ factæ,  
seu è statu possibilitatis in statum non futuritionis translatæ sint ?  
Qvam qvæstionem præter alios affirmat. Schulerus l.2. Exercitat.  
Phil Exerc. 17. qu. 5. p. 184. hisce nixus rationibus (1) Quia hæc pro-  
positio: Hoc non est futurum (loquendo de eo, qvod non est ali-  
qvando in tempore ) ab æterno determinatè vera fuit. E. opor-  
tet, ut veritatis suæ causam determinantem in Deo habeat, quæ  
præter decretum singi nulla potest. (2) Quia omne possibile col-  
lecti-

lectivè, secundùm totam suam latitudinem sumtum, jam omnino per decretum determinatum est, ut in duas quasi partes divisum, quatum una transit in statum futuritionis, altera in statum non-futuritionis. Si itaque jam novum fingatur decretum necessariò per illud evaderet vel ens futurum, non-futurum, vel Ens non-futurum, futurum. Quod utrumque falsum. Nam primò sic decretum Dei mutaretur, & posterius prius everteret, quod absurdum, imò impium, & Deum imprudentiæ & insipientiæ arguit. Deinde etiam apertam habet contradictionem, quia nihil verè futurum dici potest, quod aliquando non fit præsens.

§. XXVIII. Contra *Voëtius l.c.n.18.* sententiam negativam arripit, multisque eam roborare argumentis contendit. Quæ si breviter hic perstringerem, minimè præter rem videor facturus. (1) Decretum, ait, nonnisi ejus est, quod est volitum. Sed non futura non sunt volita, quia hoc ipso de se nullam bonitatem habent. (2) Ita terminus decreti seu subjectum, quod æque latè pateret cum objecto seu subjecto ex Quo, quod est omne possibile, & cōsequenter id, ex quo aliquid desumitur, non esset eò latius, quod inde desumitur: imò hac ratione inferri non posset, Deum ex possibilibus quædam decreuisse, sed omnia possibilia Deum decreuisse, alia ut sint, alia ut non sint. (3) Nulla decreto videtur opus, ut possibilia nonnulla dicantur non-futura, cum sufficienter illa sint non futura, si in statu possibilitatis relinquuntur, nec per decretum divinum inde extrahantur. (4) Decretum definita Dei voluntas dicitur, propterea quod objectum temporis partibus definiat & circumscribat. Sed quomodo, quod nunquam est futurum, temporis partibus determinari potest? (5) Decreti terminus respondere debet scientiæ visionis. Hujus autem terminus s. objectum scitum nonnisi futurum est. (6) Quia ita se habet voluntas Dei ad omnia non futura, ut sese habebat absolutè specta, in signo rationis ante decretum, ad omnia possibilia: utrobiq; enim, his tantum electis, quæ sunt futura, coetera, quia nō sunt electa, in pristino statu manent. (7) Ita præter duplicem rerū statum, Futuritionis scilicet ac Possibilitatis, tertius esset poneñdus, nempe non-Futuritionis; quod absonum.

§. XXIX. Sed si dicendum, quid mihi videatur, media hic in-

sistendum via existimo. Non est alienum à ratione Deum decre-  
visse nonnulla, ut minimè fierent aliquando, quæ tamen possibi-  
lia erant: quin potius id maximè congruit sapientiæ ac bonitati  
divinæ, & ni fallor, ex admiranda hujus universi gubernatione  
haud obscurè colligitur. Enim verò quòd & cæteræ non-futura  
omnia Deus per decretum aliquod in hunc statum deduxerit, mi-  
nimè satis tutò affirmari posse judico. Ut enim non repetam, quæ  
jam ex Voëtio argumenta recensui (quoniam non nulla fortè, si  
non omnia, aliquid ponderis obtinent) certè non parùm id præ-  
judicare videtur potentia ac majestati divinæ, si dicatur, Deū per  
decreta illa omnia fecisse non futura, quæ in tempore aliquan-  
do non exstitura sunt: sic enim propter immutabilitatem decreti  
nulla amplius produci à Deo creatura posset, quām quas Deus ab  
æterno create constituisset. Adde, quod minime adhuc homini  
constaret libertas arbitrii, quoniam, si omnia non-futura, ut talia  
essent, adeo decreta sunt, non potuisset homo aliud agere, quām  
quod de facto egit: quod enim de facto non egit, non futurum  
fuit, adeoq; nec agere illud potuit, cum contra venire decreto di-  
vino minimè liceat. Fortasse etiam non erravero, si affirmam, res  
illas, quas decretum Dei non tetigit, suam non futuritionem non  
habere, aut habuisse ab æterno, nisi ex hypothesi divinæ omnisci-  
entiæ: ita enim minimè quicquam derogatur omnipotentiæ aut  
majestati divinæ. Cæterū notari velim me obiter saltem hujus  
rei mentionem hīc injecisse, & in præsenti tractatione solum ea  
decreta respicere, qvæ circa res futuras occupātur, quæq; positiva  
fortasse non incommodè dixeris.

§. XXX. Hactenus de termino immediato seu proximo de-  
creti divini disputavimus. Præter hunc etiam datur terminus  
remotus seu ultimus, qui est ipsa rerum futurarum actualis existē-  
tia. Nam propterea res in statum futuritionis per decretum à Deo  
deducta est, ut in tempore aliquando existeret. Sed satis de quid-  
ditate decretorum divinorum.

## CAPUT II.

### De Decretorum divinorum qualitate.

§. I. Per qualitatem hīc intelligo qualiacunq; prædicata, qvæ  
decre-

decretis revera convenient, nec tamen ipsorum definitionem ingrediuntur, tametsi & aliis attributis divinis competant. Talia sunt. (1) *Unitas atq; simplicitas.* Esse vero decretum in Deo unicum atque simplicissimum actum sequentia evidenter ostendunt ( $\alpha$ ) Quia actus in Deo non est per modum accidentis realiter à subiecto distincti, sed per modum alicujus attributi divini. Ut igitur attributa divina tantum per fictionem mentalem, ut distincta à Deo concipiuntur, in rei veritate autem sunt ipsa essentia Dei, quæ unica est & simplicissima: ita & decretum divinum, uno tantum & simplicissimo actu absolvitur. ( $\beta$ ) Quia Deus in decreto suo nō opus habet syllogizatione aut discurso, neque etiam ex effectis & causis cognoscit res, sed propter suam omniscientiam infinitam uno & simplici actu omnia intuetur & intelligit. Ut ergo res cognoscit, sic & eas decernit. Atqui uno induculoq; actu res cognoscit. E. (3) Quia, si Deus non uno sed pluribus actibus decerneret, summa id imperfectionis indicium esset. Ratio hæc est, quia unus actus Dei non præstaret id, quod omnes simul sumpti: quod sanè aliquam imperfectionem importat. At verò in Deo nihil omnino imperfectionis est, sed omnia perfectissima sunt. Cæterum quod tamen decreta Dei in numero plurali dicamus, id ratione objectorum intelligendum est, hæc enim cum plura sint, sit, ut intellectus noster etiam plura decreta cogitat: quippe æstimans decretum divinum ex hominis decernentis modo, ut qui distincta & multiplicia decreta facit, quando diversas res interjecta deliberatione appetit.

§. II. Huc spectat. (2) *Eternitas.* Sumimus autem vocem æternitatis non inadæquatè, sed adæquatè, pro illo scilicet, quod formaliter æternum est, hoc est, quod neq; principium, neq; finē habet, quale quid est Deus, qui nec principium nec etiam finem agnoscit, sed semper fuit, semper est, semper erit. Et hoc etiam modo decretorum divinorum actuum æternum esse dicimus. Cujus asserti veritatem, ut operosè demonstremus, præter rem esse videtur. Unicum argumentum, quod sæpe tetigimus, rei exesse satisfacere potest. Scilicet probavimus suprà, decretum minimè realiter ab ipso Deo differte, sed à parte rei ipsummet Deum esse. Ex super abundantí tamen, & illud addo, quod quia Deus infinite perfectus est, suamq; perfectionem ab æterno habuit, non pos-

fit non in ipso ab æterno fuisse decretum, eo ipso, dum in ipso in-  
star cuiusdam perfectionis est.

§. III. Errat hic graviter Vorstius & quidem dupli modo :  
(α) quod omnino neget: decreta divina æterna esse. Sic enim p.  
297. l.c. scribit ; *hæc eadem decreta divina non sunt æterna.* (β)  
quod nihilominus ea ante mundum conditum esse suum accepisse  
statuat, quando p. 27. l.c. in hæc verba definit: *libera Dei decreta*  
*ante mundi creationem producta sunt.* Ex quibus patet, Vorstium  
sibi ipsi contradicere, dum decreta divina æterna & non æterna  
esse pronunciat. Nam si ante mundum conditum fuerunt, uti fa-  
tetur expressè, æterna esse oportet: tum enim non fuit aliquod  
spatium, quod mundi creatione terminatum fuit, sed mera & ab-  
soluta æternitas, quæ uti tempore non incepit, sic etiam tempo-  
re aut mundi creatione terminari non potuit. In eo autem ma-  
gnopere fallitur Vorstius, quod Deum more hominum & Angelo-  
rum in se produxisse credat actiones novas intellectus & volunta-  
tis, quæ sint accidentia ducta à substantia ipsius. Nam quod acci-  
dentialia non cadant in Deum, supra satis demonstravi.

§. IV. Parùm melius hic iterum Schulerus l.c.p. 182. sentit:  
qui dupli distinctione hic utitur, quarum prima est inter æter-  
num esse, & ab æterno esse; altera inter æternitatem absolutam &  
relativam, quæ est vel à parte antè, vel à parte post. Dicit itaque  
decreta divina, non quidem æterna sed saltem ab æterno esse, nec  
gaudere æternitate absoluta, d. relativa, qnæ à parte antè est, ita ut  
careant quidem initio, habeant tamen finem, & post executionē  
sui desinant esse. Sed tespondeo. (α) distinctionem illam, inter  
æternum esse, & ab æterno esse, nullam esse, cum nullum habeat  
in re fundamentum, quin potius æternum esse, & ab æterno esse  
unum idemq; significare. Nam e.g. generatio Filii Dei dicitur æ-  
terna & ab æterno. Item: Deus dicitur æternus & ab æterno; quæ  
sanè phrases nihil discrepant, nullam distinctionem aut diversū  
sensum important, (β) Fundata hæc ipsius disputatio est in falsis-  
sima illa hypothesi, quasi præter Deum aliquid ab æterno existere  
potuerit, quod suum esse à Deo acceperit. (γ) Gratis ab ipso &  
citra omnem rationem adductam dicitur, quod decretum post sui  
executionem desinat in Deo. Quasi vero actus hujusmodi acci-  
den-

dentalis esset; qui inciperet aliquando & in effectum transeundo desineret; uti se res habet cum humanis decretis. Sed quam falsa atq; absurdâ sit hæc hypothesis, suprà satis, uti puto, demonstratum est.

§. V. (3) Est liberrima ejus positio. Suprà enim annotavimus, quod actus divinæ voluntatis duplex sit; alius necessarius, quo se ipsum vult & in sua bonitate s̄aviter acquiescit, & complacet; alius liber, quo quælibet alia extra se posita appetit. Atq; hunc etiā actum diximus esse ipsum decretum divinum; ut adeò hoc minime sit necessarium, sed liberrimum. Atq; h̄c quidem non tantum libertas exercitii intelligitur, quâ potuerit Deus decernere & non decernere, sed etiam specificationis, qua potuerit decernere hoc vel illud bonum, prout ipse libuerit. Dico notanter, bonum; nam quod malum huc non pertineat suprà satis ostensum est. De cætero tamen & illud probè notari oportet, ne trahatur ab adversariis hæc nostra assertio in alienum sensum, quod libera dicantur de-creta Dei, non à parte sui & ratione illius, quod sunt in Deo, sed ratione terminationis seu objectivè. Nam cum à parte rei sint i-psa essentia Dei, certè & illa in se oportet esse summè necessaria, ita ut non possiat non esse, uti ipsa divina essentia. Enim verò libe-ri solùm terminantur extra Deum, ad objecta tanquam suos termi-nos, juxta eum modum, quem paulò antè tradidi.

§. VI. Et hanc libertatem in decretis diuinis dari probamus paucis. Quia (α) Deus immunis est, non modò ab æterna violen-tia, sed etiam ab interna naturali & absoluta necessitate. Nullius n. Deus imperio subest sed αὐτοδέσωτός; unde pro libero arbitrio volita decernit, ita tamen ut à naturæ divinæ legibus exorbi-tare non possit, sed iisdem necessariò conformem etiam se gerat, adeoq; & divinæ sapientiæ, bonitati, justitiæ congruat. (β) Quia Deus est omnipotens; unde quicquid vult, facit, & cōtra (γ) Quia sibi Deus absolute est sufficiens, & nullius indigus: est enim ab-solutè perfectus & infinitus [δ] Quia Deus non omnia, quæ potu-it, creavit, d. quædam in statu possibilitatis reliquit, quod liber-tatem actus in decretis arguit. [ε] Quia Deus est ens intelligens, & intellectus libertatis radix, in iis nimirum objectis, quæ indiffe-

D

ren-



center appeti possunt. Ultimò (β) Quia libertas est perfectio a-  
gentis, adeoq; primæ & perfectissimæ causæ in decernendo de-  
negari non debet. Id quod pluribus demonstrare possem, si o-  
pus foret.

§. VII. (4) Est immutabilitas. Hæc in eo consistit, quod, quæ  
decreta semel Deus fecerit, post non rescindat iterum, sed infal-  
libiliter faciat, quicquid fieri voluit. Ex quo intelligimus im-  
mutabile decretum dici non ratione objecti, quasi Deus in ob-  
jecto nullam mutationem velit aut decernat, id enim falsum est,  
quoniam per decretum res à non esse ad esse mutare constituit,  
quin & nonnullas earum iterum destruere sibi proposuit: nec ra-  
tione actus decernendi, quasi non potuerit non decernere; aut a-  
liud quid, præter id, quod decrevit, decernere, id enim ejus liber-  
tati in agendo repugnaret, sed partim ratione ipsius esse, quod  
in Deo habet, utpote ratione cuius identificatur cum divina es-  
sentiā, quæ immutabilis est: partim ratione executionis, quo-  
niam id, quod ab æterno à Deo decretum, necessariò in tempo-  
re datur effectui, uti decretum est.

§. VIII. Et talem immutabilitatem decretis divinis compete-  
re probamus (α) Quia Deus per suam essentiam simplicissimā de-  
cernit. At hæc simpliciter immutabilis est. E. oportet, ut & ipsum  
decretum ratione sui esse sit prorsus immutabile. (β) Quia si Deus  
mutaret decreta sua, faceret illud, vel quia decretorum suorum  
impletionem assequi non posset, vel quia non vellet. At utrumq;  
repugnat Deo. Primum n. aliquid omnipotentiæ ejus derogaret,  
cui hac ratione limites à volitis ponerentur, ut quod Deus vellet,  
non posset efficere: quod dici de Deo nequit. Secundum verò in-  
volvit contradictionem: idem enim vellet Deus & non vellet:  
vellet, quia decrevisset: non vellet quia producere illud nō pos-  
set. (γ) Quia si Deus mutabilis esset in decretis suis, argui posset  
tum in constantiæ tum imprudentiæ: inconstantiæ, quod animi  
sententiam semel conceptam post mutaret in aliam: impruden-  
tiæ, quod rem antea non satis habuisset perspectam, & erroneum  
de ea judicium tulisset. Quod utrumq;, cum haud exiguam im-  
perfectionem designet, Deo tribui omnino nequit. (δ) Quia si  
Deus decreta sua rescinderet & sententiam semel latam mutaret,  
decre-

decreta divina frustra facta essent. Deus autem nunquam quid  
frustra agit, nec unquam sine suo, quem intendit, defraudatur.

§. IX. Hic iterum notandus mihi est Vorstius, voluntatem  
Dei mutabilem esse, & saepius in decretis suis mutari affirmans.  
Sic n. disp. 6. de Deo p. 64. inquit: *Legimus Deum quedam postea  
nolle facere, qua antea facturum se receperat, imò juraverat.* Et ad  
marginem scribit: *Deum sententia semel lata saepius revocare.* Ve-  
rū error Vorstii exinde ortum trahit, quod non distingvat in-  
ter ea, quae Deus absolutè, & quae hypotheticè decernit. Illa absolu-  
tutè implentur, hæc verò posita conditione. Unde cum Deus  
sub conditione aliquid facere vult, absente a. conditione non fa-  
cit, non mutatur voluntas Dei, sed impletur, quia nolebat facere,  
nisi præsente conditione. Falsa proinde illa Vorstii sententia est,  
quod Deus sententiam suam retractare soleat, & quod jam vult,  
postmodum saepius non velit.

§. X. Sed hic gravissima incidit quæstio: an non ex infalli-  
bilitate decreti divini rebus inferatur necessitas, & tollatur earum  
contingentia? Ac certè non desunt, quibus affirmativa placet &  
præsertim è Calvinianorum secta, quorum plerique ad minimum  
implicite id asserunt. Etsi nonnulli tamen contra disputant: ut  
inter alios Voëtius l.c. n. 22. & Schulerus l.d. qv. 8. faciunt. Nos ut  
breviter expediamus quæstionem hanc, distingvimus inter ne-  
cessitatem absolutam seu consequentis & hypotheticam seu cō-  
sequentiæ. Concedimus, quod decretum rebus inferat necessitatē  
posterioris generis, de priori autem negamus, atque dicimus,  
quod, non obstante infallibilitate decreti divini, res quædam,  
qua flunt in tempore, in se atq; in sua natura contingentes sint, ita  
ut intuitu causæ liberæ fieri & non fieri possint. Rationes do-  
quentes: (α) Quia decretum Dei solùm infert necessitatē quo-  
ad eventus certitudinem. Hæc autem cum extrinseca sit, ac hypo-  
thetica consistere potest cum intrinseca rei contingentia. Non  
aliter, ac cum homo sibi quicquam proponit facere, quod omittere  
poterat, cum id facit, liberè facit, etiamsi id vi decreti sui in-  
fallibiliter facturum se noverat. (β) Quia Deus non vim infert a-  
gentis creati libero arbitrio, sed ipsius vigorem ac exercitium.

præsupponit potius. Quippe includit decretum divinum rerum omnium præscientiam exactissimam, qua Deus noverat, quid quodlibet agens liberum ex vi arbitrii actum fuisse datis his vel illis casibus aut circumstantiis. Hæc itaque, quæ videbat Deus **creaturas ex impulsu proprio olim liberè facturas**, per decretum in tempore aliquando ab ipsis se concurrente decrevit fieri. Unde non iam evertit decretum, quam confirmat potius agentis libertatem, quatenus liberè à creatura agente fieri vult, quod futurum aliquando prævidit.

### CAPUT III.

## De Decretorum divinorum varietate.

§. I. Tametsi in se non multa aut varia Decreta Dei sint, sed unicum tantum modo ac simplicissimum, quo quicquid futurum est, fieri in tempore Deus decrevit; nihilominus dividi decretum divinum potest, ratione nostri cognoscendi modi, quoniam nos pro diversitate objecti aliud atque aliud decretum concipimus.

§. II. Primo igitur distinguimus Decretum in Effectivum & Permissivum. Effectivum dicimus, quo Deus res illas, quas fieri voluit, sive cum, sive sine creatura efficere constituit. Atque hoc decretum non tantum circa bona quælibet rerum sed m. circa ipsius mali ordinationem versatur. Permissivum appellamus, quo Deus ea, quæ aversatur, (non efficere sed) permittere, seu non impedire decrevit. Idque ad mala culpæ seu peccata, quæ ex abuso arbitrii agentis creati futura Deus prævidit, pertinet: uti supra prolixè diximus. De priori ab initio hujus Dissertationis constat, quod à Deo factum sit. Nec de posteriori etiam dubitari potest: modo id cogitemus, quod nihil Deo nolente fieri queat. Cum igitur impossibile sit, malum Deo volente fieri: relinquitur quodcumque, cum tamen actu fiat, ipso permittente seu non impediente fiat. Ergo aliquod decretum de ipso permittendo olim à Deo factum est, cum nihil in tempore fiat, quin ab æterno Deus circa istud aliquam dispositionem fecerit.

§. III. Dej

§. III. Deinde decretum aliud Absolutum aliud Conditionatum constituimus. Absolutum dicimus, quo Deus quædam ab solutè & sine omni conditione fieri voluit. Conditionatum appellamus, quo aliquid fieri decrevit sub certa conditione, ita ut hac non impleta, minimè istud fieri oporteat. Atq; hujusmodi decretum à creatura irritum fieri potest. Dicitur alias inefficax, non respectu Dei, quasi is non posset illud exequi ; sed respectu conditionis, qvam implicat, qvæ nisi ponatur, etiam istud effectui dari non debet. Plurima hujusmodi decretorum exempla in sacris prostant; quæ quidem allegare & exponere prolixè, nostri nō est instituti. Possunt tamen & illa, ni fallor, etiam ex lumine naturæ ostendi. Certè nisi decretum esset à Deo, ut fieret contrarium illius, quod ago, si me ad id determinarem, non possum ego id agere, & consequenter nec liberum arbitrium exercere: quoniam quod nulla ratione à Deo decretum est fieri, à nullo agente creato produci potest. Ita si non decretum fuisset à Deo, ut, qui ipse sibi manus infert violentas, prorogaret vitam, si abstineret, non posset amplius super esse, sed, si non hoc casu periret, alio modo occumberet, aut simpliciter recideret in nihilum. Qvod certè libertatem omnem atq; contingentiam ē rebus humanis tolleret.

§. IV. Hinc qvām turpiter iterum Calviniani errent, qui nullam voluntatem Dei conditionatam admittunt, sed ut voluntatem omnem, ita & omnia decreta absoluta faciunt, vel ex dictis facile colligitur. Neq; ve enim alicujus momenti sunt, quas difficultates hic nobis formare solent. Objiciunt. (1) Si daretur conditionatum decretū Dei, tum ipsius voluntas ferretur in id, qvod nunquam vidit futurum, quia nemo vult id, quod impossibile est. Si frustraretur Deus sine suo, non foret beatissimus. Ita Maccov. Coll. Th. i. diff. 8. Resp. (α) Voluntatem Dei ferri quandoq; ve in id, quod Deus nunquam vidit futurum, non quidem absolute, d. cōditionatè, ut istud velit, si impleatur conditio ab ipso posita. (β) Falsissimum esse, quod id statim sit impossibile, quod non est futurum: multa siquidem fieri possunt, quæ tamen actu futura non sunt. (γ) Beatitudini divinæ nihil derogare, tametsi voluntati ej9 conditionatæ resistatur: quoniam non nisi sub certâ conditione istud voluit, quō frustrari dicitur.

§. V. Objiciunt (2) sequi, voluntatem Dei pendere à causa externa: esse in Deo effectum creaturæ: dari in creaturis aliquid Deo prius atque præstantius, uti causa prior & præstantior est suo causato: volitiones Dei esse mutabiles: voluntates in Deo dari infinitas. Ita quām plurimi adversariorum. Sed Resp. (a) Quando Deus ipse ponit aliquam conditionem aut ordinem, secundūm quem aliquid fieri vult, tum non sibi sed creaturis potius eandem ponit. Unde non potest divina volitio ab eadem tanquam sui causa dependere dici: quoniam nè quidem in humanis hujusmodi conditio, ad quam quis se adstinxit, seu actionis ipsius seu effetus causa salutari potest. (c) Turpiter hīc confunditur prævisio conditionis à Deo factæ cum actuali istius conditionis prævisa existentia. Etsi conditio à Deo prævisa in signo rationis, ut vacant, præcedat Decretum Dei: minimè tamen propterea aliquid extra Deum existens, quā esse reale Deo aut decreto divino prius est (y) Tametsi non fiat ex culpa hominis, quod Deus hypotheticè decreverat: non tamen ideo mutatur divina voluntas, quia id non nisi implerā conditione posita fieri volebat (d) Non amplius manet indefinita Dei voluntas, quando fertur in aliquid sub certâ conditione; quandoquidem istud reverā cupit fieri, dū modo non absit ista conditio.

§. VI. Objiciunt (3) Pugnare id cum sapientia divina, siquidem nè in prudentē quidem hominem cādat hæc in considerantia, ut sub conditione seriò decernat, quod ex defectu conditionis se nunquam facturum præsciat, imo cuius contrarium secum facere statuat. Ita Wendelinus. At Resp. (a) impiissimum est assertum, quod Deus aliquid decernat, cuius tamen contrarium facere secum statuat. Ita sanè darentur in Deo voluntates contrariæ; quarum alia signi sit, alia beneplaciti: uti volunt adversarii. Sed hoc suprà profligavimus (c) uti viri prudentissimi sāpè propter certam causam præcipiunt aut decernunt aliquid, quod tamen non futurum sciunt: ita nec sapientia Dei derogat, idem facere, idq; non solum propter libertatis humanæ exercitium, verū etiam propter alias causas nobis in cognitas. Plura de hac controversia videri possunt apud Summū Rev. D.N.D. Galovium l.c. qu.3.p.473.seqq.

S. VII.

S. VII. Constitit in antecedentibus, quod decretā Dei ratiōne objectorum quoad nostrum cognoscendi modum spectata multa sīt atque varia. Ultimō nunc tandem occasione illius asserti, pronunciamus, quod ordo in iis detur prioris & posterioris, ita ut Deus unū priūs decernat, quam alterum: quicquid etiam Gabriel & Occam contradicant. Utī enim viri prudentis est, non temerē quicquam decernere, sed consultō & ordinatē, ita cum voluntas DEI perfecta sit, etiam nil in consideratē ab eā, sed ordinatē omnia decerni oportet. At quoniam artifex, si prudenter agat, sibi finem priūs proponit, pōst de mediis ad finē illum ducentibus cogitat, & tandem ordinem aliquem concipit, secundūm quem priūs velit finem, quām media, & inter media, quāe sunt fini propinquiora: hinc etiam Deo, non temerē, sed prudenter agenti, talis decernendi modus attribuendus est, ut priūs finem decernat, ne quid frustra egisse videatur, pōst media ad illum finem facientia, constituat, ne quid inordinatē fiat. Unde jam decretum de fine priūs esse dicitur decretis, de mediis, & horum quodvis tanto propiūs cum priori connexum, quanto fini propinquius fuerit. Neque tamen putandum, cum diximus, Deum priūs decreuisse finem, pōst media propter finem, & ex his ea priūs, quāe fini sunt propiora, quasi in Deo sint actus volendi reapse diversi, ac distinctis temporis momentis producti, quorū unus ab altero dependeat. Nam supra satis ostendis, quod una solum ac simplicissima in Deo voluntas detur, quodque unum idemque sit decretum, quo quicquid futurum est, fieri voluit. Constat etiam abundē, quod quicquid in Deo est, ipsa sit essentia divina independens, nec quicquam in ipso detur, quod ab altero dependeat. Sed datur in decreto divino solum ordo momentorum, rationis, sub quibus id, quod in se simplicissimum est, ratione diversorum objectorum diversimodē concipimus. Scilicet, quia nos decretuti quicquam ordinatē ac sapienter primū finem nobis proponimus, deinde media ordinamus, prout fisi consequendo inservire videantur, ita ut mediorum electio ab habitudine finis dependeat: sic cum divinam decernendi rationem modo perfectissimo imaginari nobis, aut exponere aliis volumq;

ad



ad similitudinem nostri decernendi modi eāndēm concipimus ac  
designamus. Sed hæc prolixius disputata leges ap. Vasquetz in  
*Thom. Diff. 82.* Nos interim memores instituti nostri, quod pau-  
cas pagellas moliebatur, hīc pedem figimus, obtestantes etiam  
atque etiam Lectorem benevolum, ut quæ minnūs in tam diffi-  
cili atque ardua materia, acu, quod dicitur, videantur tacta, rudi-  
tati mei ingenii, nimiæq; festinationi condonare velit. Deo verò,  
Enti omnium perfectissimo, imis ex visceribus, pro largâ nobis  
hactenus concessa gratia, debitas persolvimus grates. Cui sit  
Laus, honor & gloria in omne ævum AMEN!



05 A 666

**ULB Halle**  
004 207 602

3



VDM

Stk.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-637562-p0036-7

DFG

# Farbkarte #13

B.I.G.

Black  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres  
Inches

26  
O!  
philosophica  
aturali,  
**ETIIS**  
**NIS,**  
DIO  
**STIANI**  
**TI,**  
Professoris Publici  
ii,  
plurimum honorandi,  
ponitur  
ARS, Stadensi,  
majori  
ntemerid.  
\*\*\*\*\*  
Æ,  
HANNIS HAKEN.  
II.

80 m.

Freie  
Universität  
Berlin

